

utiliter revocantur. Notum igitur esse volumus universis hoc scriptum visuris, quod dominus Swikerus pie rationis inductu nostram tenuitatem cupiens sublevare unum mansum in Widense, tria quoque feoda ibidem a fratre suo domino Conrado heredibus suis consentientibus et eisdem bonis pariter cum ipso abrenunciantibus empzione legitima de fidelium elemosinis conventui nostro in oblacionem perpetuam acquisivit. Nos autem de bonis predictis sic legitime contractis utilitatis nostre competencius commodum procurantes eadem bona post modicum vendidimus tribus civibus predictae ville, videlicet Gerlaco et fratri suo Hartwico et Conrado de Monte tali tamen pacto, ut Gerlacus et frater suus inde singulis annis dent XVIII solidos, medietatem Walpurgis et medietatem festo Michaelis, Conradus de Monte det XV solidos, medietatem Walpurgis, medietatem Michaelis et quivis eorum plaustratam lignorum annuatim. Huius eciam rei testes sunt Teodericus Camerarius, Henricus Scolaris, Hermannus Cappelere, Reinardus de Ammara, Reinfridus de Ammara, Teodericus de Germare, Godefridus frater suus, Swikerus et filius suus Swikerus, Herdegen de Bolkstede, Johannes de Alstede, Gerlacus et filius suus Gerlacus, Henricus Wederolt, Ekkehardus Holtschoere, Conradus de Guttern, Erenfridus Rost, Teodericus frater suus, Teodericus scultetus, Henricus telonearius. Ut autem apud posteros huius facti dispositio rata permaneat et illesa, eam presentis scripti patrocinio adhibitis nichilominus testibus supradictis et appensione sigillorum presencium dignum duximus roborandam. Hec autem acta sunt anno gracie M°. CC°. XLIII°, indictione secunda.

Or. im M. A. Sgl. des Convents und der Priorin verlöscht und abgebröckelt.

1244 s. d.

100.

„Eodem anno in villa regia Muhlhusen magnum fuit incendium maximam eidem civitati inferens cladem.“

Chronikon Erphordiense ad a. 1244 in J. Fr. Boehmer Fontes rerum Germanicarum Bd. II.

1246 März 18.

101.

*Conrad Molendinarius schenkt dem Deutschorden den Wald bei dem Dorfe Spittelborn.*

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Cum ab humana memoria facilius elabantur que nec scripto nec voce testium eternantur, ideo noverint singuli et universi presentem litteram inspecturi, quod ego Conradus Molendinarius cognominatus accedente connivencia et consensu omnium meorum heredum contuli domui Theuthonice in subsidium terre sancte silvam quandam totaliter et fundum eius eciam si ad novale in futurum redigeretur. Quam sitam apud villam dictam Spudelbornen eidem domui cum de mea mera existeret proprietate resignavi volens ut ipsa in perpetuum eiusdem